



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 4. De impedimentis Matrimonium impedientibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

invalida. Ita Concil: Trident: sess. 24. in Decreto de Reform. Matrim. c. 1. Qui aliter quam presente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit & annullat.

Articulus Quartus.

De Impedimentis Matrimonium impediuntibus.

Impedimenta solum impediuntia sequentibus versibus comprehendi solent: Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum, atque Cathechismus, sponsalia, jungitum votum, impediunt fieri, permittunt facta teneri.

2. Per Ecclesiae vetitum intelligitur prohibitio stricto praeccepto Ecclesiastico facta, unicum vero tale praecceptum speciale est in usu, nimirum de denuntiationibus tribus, ante Matrimonii celebrationem,

tribus festis continuis in Ecclesia coram populo inter missarum solemnias præmittendis, ad impedimenta dirimentia si qua sint cognoscenda. Obligantur itaque sub peccato mortali, nubentes & Parochi providere, ut hujusmodi denuntiationes ante matrimonij contractum fiant, nisi in ijs per Episcopum vel ejus delegatum dispensatum sit, qui tamen dispensare non possunt, nisi subsit justa causa, & nisi summarie ac moraliter examinatis examinandis constet, non subesse aliquod impedimentum.

3. Per tempus feriatum juxta Decretum Concilij Trident. sess. 24. de Reformat. Matrim. c. 10. intelligitur: tempus quod fluit ab Adventu usque in diem Epiphaniæ & à fer. 4. Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, illo vero tempore tantum prohibentur solemnitates nuptiarum, ut sunt: publicus & sollemnis in Ecclesia contractus, sollemnis benedictio, nuptiarum, deductio sponsi ad sponsæ domum, convivium nuptiale, unde qui absque solemnitate nuptiali, in privato coram Parocho & testibus istis temporibus contrahe-

ret,

ret, non peccaret, à prædictis tamen solemnitatibus, quæ in Nuptijs fiunt, sub peccato mortali abstinendum est ex præcepto Ecclesiæ.

4. Cum vero jam non oriatur impedimentum ex assistentia ad Cathedismum nullaque quantumcunq; imperfecta cognatio, de hoc fufius non tractatur.

5. Impedimentum sponsaliorum in hoc consistit quod qui sponsalia cum una contraxit, non possit absque peccato mortali cum alia matrimonium contrahere, quamvis tamen si actu contrahat cum alia, matrimonium validum censeatur: si vero Arrhæ sint datæ, aut copula vi promissionis extorta, aut alia intervenerint pacta, qui ad alias nuptias transit, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, dotationem puellæ, tam in foro conscientiæ, quam in foro externo. Licite autem & absq; peccato sponsalia dissoluntur. 1. Mutuo utriusque consensu & obligationis remissione. 2. Cum ante pubertatis annos utrimque vel saltem altero impubere sunt contracta, liberum est impuberi, ad annos pubertatis

tis

eis pervenienti à sponsalibus resilire. 3. Si alteruter Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, alias si egrediatur, & qui mansit in sæculo urgeat, tenetur ad sponsalia prius contracta. 4. Qui ordinem sacrum suscipit, sponsio enim sponsaliorum, semper excipit melioris status electionem. 5. Si tempore per sponsalia præfinito alter in longinquas Regiones proficiscatur, ob diuturnam absentiam sponsalia dissoluntur, & puella potest licite cum alio matrimonium inire. 6. Ex notabili impedimento vel mutatione in alterutro superveniente, V. G. supervenit in alterutro morbus contagiosus, Paralysis, Lepra, Impotentia, deformitas corporis notabilis, paupertas magna, oriuntur inter ipsos capitales inimicitia. Denique si post sponsalia aliquid deprehendatur, quod si prævisum fuisset nullatenus sponsalia contracta fuissent. 7. Si post sponsalia alteruter cum alio fornicetur, tunc enim frangitur inchoata matrimonii fides. 8. Si nascatur post sponsalia aliquod impedimentum dirimens.

6. Votum simplex castitatis, vel religionem

gionem ingrediendi & in ea profitendi, aut ordinis sacri suscipiendi, impedit matrimonium contrahendum: ita ut si persona ejusmodi votis obligata matrimonium contrahat, peccet mortaliter, etsi matrimonium validum sit. mulier vero voto simplici castitatis obligata, post matrimonium valide contractum, tenetur debitum marito illud exigenti reddere, non potest tamen sine peccato petere: Similiter vir voto simplici castitatis obligatus, potest & tenetur debitum uxori postulanti reddere, petere autem non potest. Notandum vero quod qui cum simplici castitatis voto matrimonium ineunt, mortuo conjugate neantur iterum ad votum castitatis servandum, nec possit absque dispensatione sine novo peccato mortali, ad secundas nuptias procedere. Quia promissio Deo facta tota vita durat, nisi super ea dispenseetur.

Articulus Quintus.

*De Dispensationibus in impedimentis
Matrimonium dirimentibus.*

1. **N**on datur dispensatio, ne quidem à summo Pontifice in impedimen-